



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

Catalogvs Episcoporum Vltraiectensium & Comitum Hollandiae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

# CATALOGVS

## Episcoporum Ultraiectensium & Comitum Hollandiæ.



On inutile, nec proposito nostro omninò extraneum erit subiungere Catalogum Episcoporum Ultraiectensium qui nongentorum annorum concatenatâ nec interruptâ serie ex Sancto Willibrordo tanquam rami ex radice processerunt. Adtexemus simul numerum Comitum Hollandiæ.

Vbi notandum in annis inchoati & desiti regiminis ipsorum plurimùm variare Historicos. Nos saltem probabilissimum, quantùm indagare poterimus, exhibebimus.

In Comitibus Hollandiæ sequemur communem Modum & ordinem prout tradunt nobis Ioan. Becanus, Chronicum Hollandiæ, Heda, Seriuorius, Suffridus, Pontus, Doufa alijsque, semotis controuersijs quæ mouentur, vel moueri possunt, An primi Hollandiæ Principes sint instituti & appellati Comites, An Comites Hollandiæ; An simul Comites Zelandiæ, Domini Frisiæ. Quibus terminis continerentur. Nec deest qui tentat probare institutionem Comitatus Holl. à Carolo Caluo Imperatore, siue à Carolo simplice; Diploma ab iisdem datum; Theodoricum primum Holl. Comitem, esse commentitia & auias veteres dignas à pulmone reuelli. Vide Iacob Eijndium in Chronico Zelandiæ lib. 2. cap. 5. nihilominus nos, vt diximus; ordinarium ordinem enumerandi seruabimus.

A

Episcop.

2 CATALOGVS EPISCOPORVM  
EPISCOPI *Ultraiectini*. COMITES *Hollandie*.

Primus est S. Willibrordus qui & Clemens, consecratus à B. Sergio Pontifice Romano anno 696. gessitque Episcopatum annis 43. integris minus 14. diebus.

2.

Secundo loco numeratur S. Winfridus, aliàs Bonifacius. Sed ille solum per 16. administravit tanquam Legatus Apostolicus, Traiecto vt plurimum absens. Quare secundum proprium & peculiarem *Ultraiectens.* Episcopū reponimus cuius nomen ignoratur, de quo vide supra differt. 150. 151. & 152.

fedit annis 15.

3.

S. Gregorius.

fedit annis 22.

4.

S. Albricus.

fedit annis 10.

5.

S. Theodardus.

fedit annis 6.

6.

S. Hermakarus, alijs Heremarus.

fedit

CATALOGVS EPISCOPORVM 3  
EPISCOPI *Vltraiectini.* COMITES *Hollandia.*

fedit annis 17.

7.

S. Rixfridus.

fedit annis 23.

8.

S. Fredericus.

fedit annis 4.

9.

S. Alfricus, alijs Albricus.

fedit annis 12.

10.

S. Ludgerus.

fedit anno vno.

11.

S. Hungerus.

fedit annis 15.

12.

S. Odilbaldus.

fedit annis 34.

13.

S. Egiboldus.

fedit vnum circiter annum.

14.

<sup>a</sup> S. Radbodus.

fedit annis 17.

15.

S. Baldricus.

fedit annis 59.

16.

Folckmarus.

fedit annis 13.

<sup>a</sup> Theodoricus primus.

Sedente Radbodo anno 913. iuxta I. Doufam, Haræum & recentiores quos sequimur instituitur Comitatus Hollan. eoque donatur vir nobilis Theodoricus ad propulsandos & arcendos à finibus hisce Vastatores Nortmānos. Chronicum Hollandiæ alijque antiquiores referunt ad annum 863.

Rexit annis 38. iuxta communem opinionem.

2. Comes.

Theodoricus secundus primi filius.

Rexit annis 36.

A2

Bald.

4. CATALOGVS EPISCOPORVM  
EPISCOPI Vltraieotini.

17.

Balduinus.  
fedit annis 4.

18.

S. Aufridus.  
fedit annis 15.

19.

Adelboldus.  
fedit annis 19.

20.

Bernulphus.  
fedit annis 27.

21.

Wilhelmus de Geldria.  
fedit annis 22.

3. COMITES Hollandie.

3.

Arnulphus Theodor. secun-  
di filius.

Rexit annis 5.  
inter Sanctos habitus.

4.

Theodoricus tertius.  
Rexit annis 46.

5.

Theodoricus quartus.  
Rexit annis 9.

6.

Florentius primus.  
Rexit annis 14.

Propter iuventutem Theo-  
dorici quinti Florentij filij  
Comitatus 14. annis variè  
jactatus fuit. Vnde alij duos  
vel tres interponunt si que  
discordia in numero: Vt  
Gertrudem viduã Floren-  
tij quæ biennio governa-  
uit: Robertum secundum  
maritum Gertrudis: Gode-  
fridum gibbosum Lotha-  
ringiæ Ducem Hollandiæ  
invasorem anno 1076. occi-  
sum. Quo occiso Comes  
Hollandiæ fit verus. Hæres.  
Conrardus.

CATALOGVS EPISCOPORVM  
EPISCOPI *Ultraiectini.* COMITES *Hollandia.*

5

22.  
Conrardus.  
fedit annis 23.  
23.  
Burchardus.  
fedit annis 13.  
24.  
Godebaldus.  
fedit annis 15.  
25.  
Andreas de Kuyck.  
fedit annis 11.  
26.  
Heribertus.  
fedit annis 12.  
27.  
Hermannus de Horn.  
fedit annis 6.  
28.  
Godefridus de Rhenen.  
fedit annis 22.  
29.  
Balduinus de Hollandia.  
fedit annis 18.  
30. 31.  
Arnoldus ab Ifenburgh &  
Theodorus de Hollandia  
federunt simul annis duob.  
32.  
Theodoricus de Are.  
fedit annis 13.

7.  
Theodoricus quintus.  
Rexit annis 20.  
8.  
Florentius secundus.  
Rexit annis 27.  
9.  
Theodoricus sextus.  
Rexit annis 37.  
10.  
Florentius tertius.  
Rexit annis circiter 30.  
11.  
Theodoricus septimus.  
Rexit annis 14.  
Mortuo Theodorico Ada  
eius filia haeres nubit Ludo-  
uico Comiti de Loon præ-  
ter

A 3

33.

Otto de Geldria.  
sedit annis duobus  
cum medio.

34.

Otro de Lippia.  
sedit annis 12.

35.

Willibrand. de Oldenburch.  
sedit annis 7.

36.

Otto de Hollandia.  
sedit annis 16.

37.

Gosvvinus ab Aemstel.  
sedit plus minus anno uno.

38.

Henricus de Viana.  
sedit annis 17.

39.

Ioannes de Nassouen.  
sedit annis 21.

40.

Ioannes de Zirck.  
sedit annis 8.

præter consensum patriæ.  
Quare ei opponit Wilhel-  
mus patruus cum ea de iure  
hæreditatis per annum de-  
certans. Mortuâ mox anno  
1204. Adâ Comitatum ad-  
ipiscitur, fitque Comes

12.

Wilhelmus primus.  
Rexit annis 18.

13.

Florentius quartus.  
Rexit annis 12.

14.

Guilhelmus Secundus qui  
fuit Rex Romanorum.  
Rexit annis 21.

15.

Florentius quintus.  
Rexit annis 41.

Wilhel.

CATALOGVS  
EPISCOPI *Ultraiectini*

EPISCOPORVM

7

COMITES *Hollandie,*

41.  
Wilhelmus de Mechlinia.  
sedit annis 5.
42.  
Guido de Hannonia.  
sedit annis 16.
43.  
Fredericus de Zirck.
44.  
Iacobus de Oosthorn.  
sedit menses 2.
45.  
Ioannes de Dijest.  
sedit annis 18.
46.  
Nicolaus Caputius.  
sedit vix integro anno.
47.  
Ioannes de Arckel.  
sedit *Ultraiecti* annis 22.  
translatus demum *Leodii*.
48.  
Ioannes Varneburgensis.  
sedit annis 7.
49.  
Arnoldus Hornensis.  
sedit annis 7. *Ultraiecti*  
translatus inde *Leodium*.

16.  
Ioannes primus.  
Rexit annis 3. cum medio.
17.  
Ioannes secundus.  
Rexit annis 5.
18.  
Wilhelmus tertius.  
Rexit annis 33.
19.  
Wilhelmus quartus.  
Rexit annis 8.
20.  
Margareta defuncti Wilhelmi  
soror & vxor Ludouici  
Bauari Imperatrix.  
Rexit annis 6.
21.  
Wilhelmus Quintus.  
qui septimo Regiminis  
anno incidit in phrenesim  
in eaque mortuus  
anno 1377.  
Florent.



8 CATALOGVS EPISCOPORVM  
EPISCOPI *Vltraiectini.*

50.  
Florentius Wenelichovius.  
sedit annis 13. mensibus 5.

51.  
Fredericus Blanckenhemius.  
sedit annis 30. mensibus 6.

52.  
Zuederus Culenburgius.  
sedit annis circiter 9. no-  
mine potius quã re ab Ad-  
versarijs Traiecto exclusus.

53.  
Rodolphus Deipholdius.  
sedit annis 22.

54.  
Gisbertus Bredenrodus.  
sedit annis non plenè duob.

55.  
Dauid Burgundus.  
sedit annis 39.

56.  
Fredericus Badensis.  
sedit annis 20.

COMITES *Hollandia.*

22.  
Albertus Dux Bauariæ filius  
Wilhelmi Quinti ex gu-  
bernatore Comes.  
Rexit annis 27.

23.  
Wilhelmus Sextus.  
Rexit annis 12. mensibus 6.

24.  
Iacoba filia Wilhelmi.  
Rexit annis 19.

In multis tribulationibus  
propter quas coacta fuit Co-  
mitatũ anno 1433. resignare  
Philippo Burgundo seruatis  
aut potius concessis certis  
reditibus.

25.  
Philippus Burgundus.  
Rexit annis 31.

26.  
Carolus Burgundus.  
Rexit annis 9. mensibus 6.

27.  
Maria Burgundica.  
Rexit annis 5. mensib. duob.

28.  
Philippus Austriacus.  
Rexit annis 24.

per patrem Maximilianũ 12.  
per seipsum 12. Car-

CATALOGVS EPISCOPORVM. 9  
EPISCOPI *Vltraicctini.* COMITES *Hollandia.*

57.  
Philippus Burgundus.  
sedit annis 8.

58.  
Henricus de Bauaria.  
sedit 5. ferè annis.

59.  
Wilhelmus Enckevortanus.  
sedit annis ferme 7.

60.  
Georgius Egmondanus.  
sedit annis 23.

61.  
Fredericus Schenck & se-  
cundus Archiepiscopus.  
sedit & rexit per 19. an-  
nos quantum per ciuiles  
discordias & invales-  
centem hæresim licuit.

62.  
Ioannes Bruhesius.

63.  
Sasboldus.

64.  
Philippus Rouenius. hi tres  
per præualentes motus in  
Regem & fidem Catho-  
licam sedibus suis inthro-  
nifari nequuerunt.

29.  
Carolus Austriacus.  
Rexit annis 43. ac anno  
1549. filio Philippo resig-  
nauit.

30.  
Philippus dictus secundus  
respectu Hispaniarum, re-  
spectu Comitatus Holland.  
tertius.

Rexit 30. parè annis,  
quorum tamen magna  
parte hereditate sua fuit  
per vim exclusus.

Philippus quartus.

Philippus quintus.  
Ast hi duo per abnegationē  
Imperij auiti ab Ordini-  
bus factam & proclama-  
tam, Comitatu suo nun-  
quam sunt potiti. nunc  
supremum dominium est  
penes ordines Patriæ

B

Nota

Nota hîc primò, aliquos enumerare Episcopos Ultraiectenses 65. sed illi inter Iacobum Oosthornium & Ioannem Diestensem interponunt Ioannem Bronchorstium, qui quidem à capitularibus legitime fuit electus & aliquantum administrauit, sed sollicitantibus Ioanne Brabantia Duce & Reynoldo Geldria Comite pro Ioanne Diestensi à Pontifice non fuit confirmatus, imo reiectus; ideo nec apud Ioannem Becanum, nec Hedam, quamvis Pontificis factum damnet, nec apud Suffridum numerum catalogi auget, nec nos augemus.

N. secundò, Hedā inter Episcopum nonum & decimum habere hæc verba: *hic duxi non omittendum qualiter in vetustis libris & annalibus inuenio aliquos Episcopos fuisse Traiectenses qui catalogo non inseruntur, sicuti circa hæc tempora Egihardum Episcopum, cuius intuitu Lotbarius senior filius Ludouici Pij pro sua coniugis que ac prolis sue incolumitate, inuenitur in donationibus confirmasse auctoritatē immunitatis nedum per genitorem suum, sed & per prædecessores eius Francorum Reges Ecclesia Traiectensi concessam anno imperij sui in Italia 26. & in Francia sexto. Actum Aquisgrani.* Verum reor eos dumtaxat fuisse Episcopos auxiliosos siue suffraganeos, quales in latissima Diocesi Traiectensi erant necessarij; ideo apud dictos auctores calculum etiam non augent.

Nota tertio, anno 1559. petente Philippo Hispaniarum Rege Belgarum Principe gliscentibus hæresibus obviam ire volente auctoritate Pontificis Pauli quarti inferiorum nostrarum Prouinciarū Dioceses multiplicatas esse, cum antea solū esset tres, Ultraiect. Atrebat. Tornac. vel quinq. si velis adnumerare sedes Leodiensē & Cameracensē, quarum Episcopi etsi essent extra nostrum Belgium, tamen per eius regiones latissime iurisdictionem exercebant. In hæc Episcopatum multiplicatione dicto anno eriguntur  
sedes

sedes Metropolitanae tres, Ultraiectensis, Cameracensis & Mechliniensis, quibus suae suffraganae sedes assignantur. Ultraiectensi attribuuntur Harlemensis, Dauentriensis, Leovardiensis, Gruningensis & Middelburgensis; quarum Parochiae omnes ab olim subfuerunt Episcopatu Ultraiectino, sicque ei quodammodo debita; protinusque ordinatur ex Episcopo, Archiepiscopus Fredericus Scenck, primus quidem Archiepiscopus in hac innouatione, sed secundus à S. Willibrordo, post cuius obitum satagentibus & cõtranitibus Coloniensibus & supervenientibus Barb. grassationibus Archiepiscopalis dignitas in Ecclesia Ultraiectensi supprimitur mansitque oppressa per 800. annos usque in hanc novorum Episcopatum institutionem, per quam ad primevæ dignitatis culmen ascendit. Inrerim omnes & Archiepiscopi & Episcopi à primo usque ad ultimum exstiterunt Catholicæ Romanæ fidei eximij præcones, cultores, defensores, nec vllus in minimo ab ea defecit, veri Sancti Willibrordi heredes & successores; quæ quidẽ proprie successio existimanda est: nam qui eandem fidei doctrinam profiteretur, eiusdem throni socius est: qui autem contrariam sententiam tueretur, adversarius quoque in throno censeretur; atque hæc quidem nomen, illa vero rem ipsam & veritatem habet successionis, inquit Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. in S. Athanasium.

*Hymnus Votiuus dictus S. Willibrordo à*

*V. Cornelio Musio Præpositio quondam*

*Sancta Agatha Delphis.*

**T**E Willibrordum Præsulem,  
Adeoque nostrum Apostolum,  
Cantamus hymnis symmetris  
Et spiritualibus modis.

Tu sanguinis profapiae,  
Fia licet, renuntians,  
Procul omnium consortio,  
In solitudinem migras.

Hic viuis integerrimè  
Iuste, pieque & sobrie,  
Hic liberè colis Deum,  
Securus à contagijs.

Sed euocatus cælitus,  
Ad præsulatus ordinem,  
Iusto talenti pro modo,  
Multa vt referres foenora,

Verbi sacri fidem sacram  
Tu tradidisti gentibus,  
Et primus hic electissimos,  
Christo parasti milites.

At nunc dolor, quam plurimi,  
Tua abnegantes dogmata,  
Labuntur à prisca fide,  
In hæresis delirium.

Quam Willibrorde feruido  
Nisi precatu sopias,  
Actum tua de Frisia,  
Actumque de Batavia est.

Quod ne accidat, te sedulis,  
Qui firmi adhuc consistimus,  
Votis rogamus optime,  
O Præsul, ô Apostole.

Diuo

EPIGRAMMA.

**V**ellera cum minijs nitido radiantia villo  
 Ignotum sulcans pelagus lucratur Iäson  
 Per varios casus, per mille pericula rerum.  
 Tu felix animi inuenis; tuque alter Iäson,  
 Quem non mendacis calami cudere poëtæ;  
 Atq; opifex mundi superiorum fudit ab arce  
 Spem Frisæ, columenque, ô Willibrorde, salutis.  
 Non te diuini gens nescia foederis, exlex,  
 Non rigidus boreas, fluctus, solesque alieni  
 Percellunt, quin vela truces deducis in vndas.  
 Maeste animo, in puppim diuinæ flat fauor auræ  
 Cui non Neptunus, non horrifera Æolus obstat,  
 Barbara mox faustam connectent littora nauem,  
 Æripides tauros cicures noua sub iuga mittes,  
 Peruigilem catus poteris sopire draconem;  
 Aurea sic rapies tibi munera fortis Athleta,  
 Queis præditatus, statues super astra trophæum  
 Ac orbis nostri verus scriberis Iäson.

Eidem è mari cum socijs Frisæ portus perenti  
 & intranti admirabunda adgratulatur  
 & applaudit Frisia.

**Q**uis Sol decoro iubare splendidus  
 Tentat carinis patria moenia?  
 Quæuè astra nobis vnda donat  
 Sidereos imitata cælos?  
 Contaminauit foedera num sua

14  
Natura? rursusque ætheris inscia  
Phæbea proles plaustro Solis  
Præcipites tulit in ruinas?  
Emota mens est cardine proprio;  
Haud assueto percutitur motu:  
Excelsa sunt quæ moliantur  
Grandia concilia, ô Deorum.  
Agnosco : lux est cælitus emicans,  
Nostras tenebras pellere gestiens;  
Alcides hic, quem Diî dederunt  
Monstra Erebi superare nigri.  
En expeditis cingitur adiuuis,  
Vt Phæbus ardens sideribus suis;  
Festinè nos vt maximorum  
Compedibus liberet malorum.  
Salueto lampas fulgida, plenius  
Portus adimplens, aruaque Frisica  
Quàm mane Titan candicantem,  
Dum rutilo vehit axe flammam.  
Salue Heros ausis fortibus advena,  
Accepte Diuis plèneque munerum  
Diuina quæ largo merenti  
Gratia fert cumulata cornu.  
Saluete Hiberni gloria nominis.  
Quis nostri amor vos æquora per fera  
Traxit suauis de quiete  
Barbaricos penetrare in agros?  
Vah vrna sælix prodiga sortium  
Non improbarum! vah niueum diem,  
Quo de remotis ve cta zonis  
Contigit ora videre vestra!  
Agrum per omnem buccina personet,  
Missæ

Missæ salutis buccina nuntia :  
 Festiua reddat turba plausum  
 Insolitis recreata votis.  
 Calcate grati limina patriæ,  
 Vestræ beatæ nescia copiæ:  
 E finibus nostris fugentur  
 Cimmeriæ procul hinc tenebræ.  
 Hinc, hinc, profani, sint procul improbi  
 Falsi Deorum fictilium chori,  
 Queis inferorum turba mendax  
 Ludificat lubricum popellum.  
 Radbodus orbis lumine Spiritus,  
 Insanientis gens sapientiæ,  
 Supercili fastu superbi,  
 Missa polo documenta temnent.  
 Ast perge sacri dux strenue gregis,  
 Accede quò te numina destinant:  
 Per plana duc fortes sodales,  
 Perq; obices scopulorum acutos.  
 Securus omnem fer violentiam  
 Sortisq; , mortisq; , & tetricas minas  
 Contemne , securus cachinnos  
 Despicias, & aperta bella.  
 E clade multa te Deus eximet.  
 Reddet labores vberè fœnore,  
 Si fractus illabatur orbis,  
 Incolumis fugies ruinam.  
 Expandet alas te super , & suis  
 Pennis fouebit rebus in asperis  
 Certusq; promissæ salutis,  
 Sub clipei latitabis vmbra.  
 Assistet vrbis Romuleę Pater:

Françæ



Franca Pipinus militiae decus,  
 Austrasia Princeps tremendus  
 Sollicito proteget fauore.  
 Eliminatis spurcitijs, fides  
 Sincera, casto religio micet  
 Spectanda cultu, quam nec annis  
 Cuncta domans minuatur verustas.  
 Te nostra semper carmina, te lyrae  
 Nostrae sonabunt, vox tibi seruiet  
 Dicata, praebitque nostris  
 Materiem tua laus camenis.  
 Seris recludam facta nepotibus,  
 Cantabo vitae praesidium meae:  
 Dum spiritus peruadet artus  
 Iusta sequar tua Sancte Ductor.

Lusit anno 1626. F. W. P. B. C. R.

EPIGRAMMA ANAGRAMMATICVM.  
 WILLIBRORDVS BOSCHAERTS  
 loquitur:  
 ILLVSTRO, SVB VRO CHARIBDES.

Sic est.

**W**ILLIBRORDE, tuos depingis docte PATRONOS;  
 Scribis veridicus; Noctua multa fugit,  
 Omen habet nomen; subuertis germina falsi;  
 Mendacia stijlo *VERITAS VINCIT* tuo.  
 Hinc tibi viuaces connectit *FRISIA* laudes,  
 Es tibi Coelicolum Spiritus alta fauet.

Auet

I. Van Westerlaken.

quartum carmen est jambicum propter dictum, quod con-  
 tinet Symbolum Tungerloense.

ELENCHVS